

et ipsam catenam tenere clausam tempore noctis. ¶ Et si necesse fuerit alicui volenti exire extra portum Tergesti vel intrare in dicto portu ipsam catenam aperire, quod hoc facere possint et teneantur, primo cognoscendo tales intrare volentes vel exire vel saltem nautam barce ipsorum, ac etiam videre si portarentur extra portum vel in portu conducerentur aliquae res contra formam aliquorum statutorum vel ordinamentorum civitatis Tergesti, et contrafatientes denunciare, et partem suam habere debeant tales custodes secundum formam statutorum Tergesti, et quolibet die in mane ipsi custodes claves ipsius catene dare et presentare teneantur uni ex iudicibus comunis Tergesti, sub pena centum sold. par. pro quolibet custode contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Preterea quodlibet regimen iudicum tempore sui regiminis debeat ponere in concamento dicti portus, ubi melius videbitur convenire, sold. decem grossorum, sub pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet iudice. ¶ Et nulla persona audeat proicere ligna lapides vel alias immunditias in dicto portu, sub pena quadraginta sold. par. pro qualibet persona contrafatiente et vice qualibet contrafacta. //

Cap. XLI.¹⁾ Rubrica de faciendo logiam comunis super duobus voltis.

Statuimus quod dominium Tergesti fieri facere debeat et teneatur veterem logiam comunis, in qua conserventur armamenta comunis, super duobus voltis de lapidibus, et muri ipsius logie circumquaque fiant etiam de lapidibus cotis, et quando fiet dictum laborerium iudices [qui] pro tempore erunt sint exempti a quolibet opere murorum civitatis Tergesti.

¹⁾ La numerazione originaria è errata; fu raschiata e scritto a nero in carattere minuto il numero esatto. Lo stesso dicasi dei numeri delle rubriche seguenti.